



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Micrologvs|| De Ecclesiasticis|| Observationibvs.||

Bernoldus <Constantiensis>

Antverpiæ, 1565

32. De historia, Clama

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63426)

dinavit, cuius libri ordinem & sanctus
 Gregorius diligentissimè observavit, siue
 dum lectionibus & Euangelijs missales
 orationes in sacramentario adaptaret, si-
 ue dum Antiphonas ex eisdem euange-
 lijs quàm plurimis diebus in Antiphona-
 rio articulare. Ipsum quoque Euangeliũ
 Cum appropinquaret, & si de itinere Do-
 mini ad passionem agere historialiter vi-
 deatur, non tamen istius omnino obliui-
 scitur. Cùm pueri Hebræorum in laudẽ
 eius illud psalmistæ in altum proclamẽt:
 Benedictus qui venit in nomine Domi-
 ni. Quod auctor Antiphonarij de hoc
 aduentu proculdubio intellexit, cùm in-
 de responsorium in historiam Dominicę
 natiuitatis composuerit.

De historia, Clama,

CAP. XXXII.

20 QUIDAM historiã Clama à quarta
 feria hyemalis ieiunij omni anno incipi-
 unt, etiam si adhuc 12. dies vsque ad nati-
 uitatem Domini remaneant. Æstimant
 enim hanc historiam pro eodem ieiunio
 25 esse institutam, sed fallũtur. Si enim Ro-
 mana auctoritas illam ad hoc institueret,
 ante Dominicam vacantem, id est, Cani-

Librum Comi-
 tis D. Hier. dili-
 genter imitatus
 D. Gregorius,

te tuba, hęc quoque sicut diurnalia eiusdem ieiunij officia collocaret. Nam hoc in omnibus huiusmodi ieiunijs obseruatur, vt officia eorum semper Dominicam præcedant vacantem, quę etiam semper prius ipsa obseruatur, iuxta statuta sanctorum patrum, aut præmittitur. Nec vtique aliqua Dominica vacans, proprie dicitur, nisi quę huiusmodi ieiunij officia indiuisę sequitur, à quibus & ipsę officiantur, si necesse fuerit, vt obseruetur. Præterea si eadem historia pro ieiunio instituta esset, superfluo secundam, tertiam, quintam feriam eodem modo, vt sextam, inofficiatas haberet, cū tamen nihil ad illas prædictum pertineret. Patet ergo hanc historiam non pro ieiunio, sed potius ad hoc esse institutam, vt proxima hebdomada ante natiuitatem Domini, sicut & ante Pascha, tanto plus in officijs habeatur, quanto vicinior Dominica solemnitati existat. Nam & Antiphonarius hoc innuere videtur, qui historiam, Canite tuba, proximam Dominicam ante natiuitatem vocat, & hęc, id est, Clama, infra hebdomadam eiusdem Dominicę canendam subsequenter innuit singulis ferijs

Quę proprie
veterib. dicta
Dominicę va-
cantes.

rijs singulas matutinales laudes attribu-
 ens. Sunt autem ita descriptæ, vt eo anno
 ita obseruentur, cum Natiuitas Domini
 in Dominicâ, & vigilia in sabbathū occur-
 5 rit, quod & Antiphona; Nolite timere, in
 quarta feria præcedenti descripta, & An-
 tiphona Expectetur, de Câtico sabbathi
 vigiliæ affcripta demonstrant. Vnde & ip-
 sum sabbathum speciali matutinali lau-
 10 de insigniri non necesse habuit. Nam om-
 ni anno, aut eiusdē vigiliæ officium obti-
 nebit, aut alterius feriæ, quam eadem vi-
 gilia eo anno occupauerit. Illo non negli-
 genter obseruato, vt sabbathū semper de
 15 vigilia ferialems psalmum & canticum cū
 Antiphona obtineat, & vigilia illius feriæ
 quam sibi vëdicauit, ferialems psalmum
 & canticum cum antiphona possideat.

20 *De septem diebus ante Natale Domini,*

CAP. XXXIII.

SCIENDVM itaque est, quòd prædi-
 cta officia non sunt ieiunij sed dominicæ,
 & quinque feriarum ac vigiliæ, vnde &
 25 annuatim eadem officia ab octaua die,
 quæ natiuitatem Domini præcedit, con-
 grue incipimus, vt totam illam septima-
 F 4 nam